

vobis Martino Dothe et Bino confratri tuo, acceptoribus pro vobis et confratribus vestris et consociis atque vestris successoribus, de ripis fluvii Santerni et alveo predicti fluminis ex utraque parte ad pontem faciendum, ad honorem dei et sancti Iacobi apostoli domini nostri Iesu Christi, et quicquid in predictis ripis aut alveo fluvii¹ vobis aut vestris successoribus in perpetuum facere placuerit, sive molendina sive alia edificia ad pontis subste[n]-tamenta² sive supra³ sive de subtus. Quam quidem cartulam donationis et proprietatis, sicut dominus imperator michi precepit, facio vobis fieri, ut vos et vestri confratres et successores in perpetuum habeatis et teneatis predictas ripas fluminis et alveum ad pontem faciendum et alia substantamenta⁴ et edificia ad pontis utilitatem, ad honorem dei et sancti Iacobi atque ad honorem domini imperatoris et omnium cristianorum et per⁵ regalia⁵ transeuncium utilitatem. Si quis autem dux sive marchio⁶ aut comes aut vicecomes sive aliqua persona hominum magna vel parva contra hanc benignissimam liberalitatem⁷ et donationem et proprietatem, quam dominus imperator vobis fieri precepit, temerario ausu ire vel agere tentaverit vel quoquo modo infringere presumpserit sine legali iudicio, aut de prenominato ponte aut de ripis sive alveo fluvii sive edificiis pro pontis⁸ sustentamine ibi facturis⁹ aut aliquam molestiam vel contrarietatem vobis aut vestris confratribus vel successoribus fecerit aut facientibus consensum sive adiutorium dederit, obligo eum ex¹⁰ parte domini imperatoris et ex sua iussione, ut solvat penam tres librarum auri, medietatem¹¹ sacro imperio et aliam¹¹ medietatem rectoribus et predicti pontis gubernatoribus; et post solutam penam hæc omnia supradicta¹² imperpetuum maneant firma.

Quæ scripsi ego Vizolus Imolensis notarius, sicut pre-nominatus Bretuldus michi iussit ex¹³ parte¹³ domini Federici gloriosissimi et invictissimi imperatoris.

Manus¹⁴ autem investor¹⁵ huius donationis et proprietatis fuit Pulzone. Testes vero rogati¹⁶ interfuerunt

1) 'fluviis' A. 2) A; 'substantationem' B. 3) A; 'super' B.
 4) A. 5) A; 'pro reg.' B; vielleicht statt 'generalem'. 6) 'merchio' A.
 7) B; 'libertatem' A. 8) 'frontis' A. 9) A. 10) 'et' A. 11) B;
 'medietatem — aliam' fehlt in A. 12) A; 'acta' B. 13) B; 'et
 per te' A. 14) Davor fehlt etwa: '† signum'. 15) A; 'instru-
 menti' B. 16) A; 'presentes' B.